

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XLI. De Philippis Augustis

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

## XLI. DE PHILIPPIS AVGVSTIS.

**E**X quo Roma peregrinitatem sustulit, et communis quaedam patria civitasque facta est, nemini ad fastigium imperii praeclusit aditum, neque hoc dignitatis gradu prohibuit exteros, et quaesivit interdum, ultra Latium ac Italiam, quos eligeret, Imperatores. Eo viam munivit Antoninus pius, et omnes liberos homines in ditione imperii constitutos, iure civitatis Romanae donavit, constitutione ad posteritatis memoriam insigni, cuius meminit *Vlpianus in lege septima decima, quae Romani iuris volumine continetur.* Praeclare, ut sapiens, et rerum quoque Romanarum peritus erat, *Augustinus* scribit: *Humanissime factum est, ut omnes ad Romanum imperium pertinentes, societatem acciperent civitatis, et Romani Civēs essent: ac si esset omnium, quod erat ante paucorum. lib. V. c. 17. de Civit. Dei.* Quem locum de iure civitatis, non urbibus tantum et provinciis, sed etiam omnibus et singulis, qui sub imperio Rom. erant, dato concessoque exponere debemus. Nam *Io. Ludov. Vives, V. C. Iosephi et Dionys. Halicarnassēi* auctoritate contentus, recentiora, quae huc spectant, testimonia omisit, *in commentar. ad b. l.* Haud dubie antistes ad Antonini pii tempora respexit, et ipse sibi lucem attulit alio in loco, quo secum consentiens tradit. *Omnes (subiecti imperio Romano) Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur. In Ps. LIX.* Vix dubito, quin hoc innuere voluerit *Capitolinus*, quum in vita Antonini pii sequentia reliquit. *Tanta sane diligentia subiectos sibi populos rexit, ut omnia et omnes, quasi sua essent, curaret. Cap. VII.* Omnes, inquam, quasi unius urbis cives, sublato peregrinitatis discrimine, habuit, ita ut ex variis Rom. imperii populis unum populum efficeret, qui uno et eodem Romano iure, eademque civitate et libertate uteretur. Neque hoc ignoravit *Prudentius*, poeta *Christianus*, quum ius connubii, quod antea non erat cum peregrinis (*autore etiam Cicerone in Topicis, et Seneca lib. IV. de benef.*) nunc cum omnibus commune esse indicat, *lib. II. contra Symmachum.* Nihilominus *Rutilius* affirmat, unam ex diversis gentibus patriam, unamque urbem esse factam, quod antea orbis fuerat, *lib. I. itiner.* Omnia ergo, quae iure *Quiritium* habentur et exercentur, peregrini aequaliter consecuti sunt, non solum ius connubii, sed etiam patriae potestatis et hereditatis, omnesque adeo immunitates et privilegia, quae debentur Civibus Romanis, ex lege Antonini pii, cuius meminit *Vlpianus in l. 17. D. de statu hominum.* Vbi retinenda vetus lectio: *in orbe Romano:* quam *Etrusci* veteres libri firmant, quamque in Latio inclinatae latinitatis, quorsum *Augustus* noster pertinet, non esse peregrinam, scio. Accedit eodem *Iustinianus*, et Antonini vestigia sequitur, *in Nov. 78. c. 5.* Ibi enim verba, *ἐν κοινῷ, orbem Romanum*, non urbem Romanam significant:

Zzz (e)

quem-

XLI. DE PHILIPPIS AVGVSTIS.

quemadmodum *l. un. pr. C. de cad. toll.* expresse dicit augustus legislator. Paulo aliter, sed re ipsa congruens Modestinus, matrem illam ac parentem urbium, *communem patriam* nominat, et civitatem omnibus datam intelligit, quae alias *Romani orbis* nomine appellatur. *l. 33. D. ad municipalem.* In novissima, cuius memini, constitutione τὸ κοινὸν est commune civitatis Romanae domicilium, indulgentia Antonini omnibus concessum, ob eamque causam a Iustiano confirmatum. Non accurate convertit interpretis: *omnibus in commune subiectis*: rectius dixisset: omnibus Romano orbi (imperio) subiectis, ad quos pertinet id quod praecessit τὸ τῆς Ῥωμαικῆς πολιτείας. *Novel. 78. c. 5.* Eodem sensu Zosimus dixit, ὑπὲρ τῆς κοινῆς. *l. 65.* Inquinatè scripsit, quod ex Graeco Nov. codice transtulit *Ant. Mornacius, οἱ ἐπηύροσι*, quod peregrinitatem et barbariem redolet, pro ὑπηκόοι. *in l. 17. D. de statu hom.* Nam Graeci τὰς ὑπὸ Ῥωμαίους vocant τὰς Ῥωμαίους (Ῥωμαίων βασιλεύσι) ὑπηκόους, quod neminem Graece doctum fugit.

§. II. Quo civitatis Romanae iure ornati et evecti sunt homines alienigenae, et ex Arabia primus omnium Philippus, humili et obscuro genere natus, animo tamen et aetate ferox, sed more suae gentis vaser ac malitiosus, et disciplina belli, cultuque Romano institutus, conciliato sibi exercitu, et Gordiano tertio, per quem crevit, et honore auctus est, submoto, imperium scelere et perfidia occupavit. *Julianus Capitolinus in Gordiano III. c. 29. Victor Schotti p. 85. Sextus Rufus, a Io. Camerte editus, p. 323. Eutropius l. IX. c. 3. Orosius, qui Eutropium legit, lib. VII. c. 20. Cassiodorus in chronic. ed. Vechel. II. 381. Zosimus lib. I. c. 18. et 19. Zonaras Annal. t. II. qui tradit, Bostris, loco in Arabia ignobili oriundum. ὄρητο ἐκ Βόστρων. Prodiit ex eo, velut natali loco, Philippus. Sive, ut convertit Hier. VVolfius. Fuit ex Bostris oriundus. Consentit Victor, et Thraconiten vocat, quem Bostrenum fuisse, Zonaras auctor est: Bosstra enim sita erant in eo Arabiae tractu, qui Trachonitis dicitur, atque hoc indicio Trachonites scribi debet, qui Traconites scribitur in breviario Victoris. Thomas de Pinedo Lusitanus redarguit Abr. Ortelium, tanquam is sine auctore scripsisset, patriamque hanc Philippo tribuisset. *in observat. ad Stephan. Byzantium, V. Bosstra.* Fugit Iudaeum apprime doctum locus in Zonara ad praesidium huius sententiae constitutus, quem non ignoravit Ortelius, sed in *Thesauro Geographico* aperte nominavit. Vix autem dubito, quin de eo cogitaverit *Iac. Gothofredi*: quamquam non indicavit, quo se tueri testimonio possit, huius tamen auctoritate scriptoris, qui scrupulum eximit, permotum fuisse, nemo temere negabit. *In notis ad expositionem ab Anonymo quodam, quarto seculo iam adulto, concinnatam, cap. XIX.* Bosstra quidem a Strabone in Syria collocantur, *lib. XVI.* Non, ut liquet eius, sed librarii vitio, quoniam depravata est scriptura, et legi debet Botrys, sive Latina scribendi ratione, Botrus, quam recentior Strabone Ptolemaeus in Syriae*

Syriae finibus includit, *l. V. c. 15.* At Bosra, sub id tempus, inter Arabiae vicos relata, et Philippi auspicio culta, extructisque ab eo aedificiis, et operibus publicis ornata, muroque cincta, dignitatem, cultum ac faciem novae, et nuper conditae urbis obtinuerunt. Contra alii a Philippo haud inchoatam urbem, sed instauratam autumant, in his *Ortelius*, et qui hunc sequuntur. *Zonaras* scribit, πόλιν Βασιλεύσεως ἐπώνυμον ἑαυτοῦ ἑδομήσατο, Φιλίππου πόλιν ὀνομάσει αὐτήν. *Annal. tom. II.* Urbem, confirmato imperio, aedificavit, id est, domos, portas, muros, ad iustam urbis formam extruxit. Quod novae urbis initium, verbo tradit satis aperto, sed minus usitato, atque ab ultimis Graeciae scriptoribus haud usurpato. Alioquin scripsisset aliter, si veteres historicos, aut oratores consecrari voluisset. Nam apud utrosque, praesertim Atticos, verba, ἐκτισε, ὤκισε, urbium primordia et conditus signant. Nec vero scripsit *Zonaras* ἐτείχισε, quoniam hoc includit δόμησις, oppidumque a vico distingvit, et proprie etiam ad eiusmodi structuram pertinet, quae urbi convenit, et iure civitatis nequicquam est indigna. Tanto minus expressit, ἐκόσμησε, quamvis necessaria ratione subintelligatur, propterea quod Philippus senior urbem ab se conditam prius aedificiis ornavit, quam muro cinxit. Totam ego rem ita expedito, et verbis quoque commutatis sententiam *Zonarae* declaro. Πόλιν ἐκτισε, καὶ ἐκόσμησε οἰκοδομήμασι καὶ ἐτείχισε. Verbum enim, quod *Zonaras* ad illius rei memoriam extare voluit, aedificationem urbis designat, neque tamen cultum ornatumque aedium, neque extructionem muri et moenium excludit. Nisi quis existimet, πόλιν ἀτείχισον, nulloque muro circumdatam fuisse, quod historiae perito vix venire in mentem potest. Sane in priscis urbium inscriptionibus, murorum fieri mentionem, formula vetus docet. MVRIS. CVM. INTERIORIBVS. AEDIFICIIS. PROVIDENTIA. AVGV. INSTITVTIS. ATQVE. PERFECTIS.

§. III. Maior est controversia, an Philippus pio coetui se coniunxerit, et Christi dicto obediens fuerit, quod complures, praesertim nostri putant, et variis atque gravibus testimoniis confirmare volunt, eum non modo non abhoruisse a Christianorum sacris, verum etiam, adducto in societatem ritus filio, consensu et praesentia approbasse. Quae quidem sententia numero suffragiorum vincit, et omnibus fere aetatibus ac seculis hominum, rei Christianae peritorum, assensu comprobata est, ut pauciores isti, qui dissentiunt, forsitan Philippo iniuriam faciant, et animo iraeque obsequantur. Contra alii eum probri flagitii que insimulant, nec maledictis abstinent, et vasrum, crudelem, perfidum, impurum et impium, latrocinio infamem ac parricidam, vocant, qui ex ultimis Arabum terris non meliores, nec mitiores gente suamores secum attulisset, et turpitudinis notas, scelerumque vestigia passim reliquisset. Quae res probatione indiget, et idoneis historiae momentis ponderan-

XLI. DE PHILIPPIS AVGVSTIS.

deranda est, ut quo inclinet animus, et quid in tanto dissidentium numero statuendum sit, intelligatur.

§. IV. In principio huius controversiae optandum esset, ut duarum Origenis epistolarum, quae huc spectant, facere copiam possem; Sed quia haec res facultatem habitura non est, argumenta aliunde sumi oportet. Illud certum habeo, ludos seculares, publice editos, Diisque consecratos, cum religione Christiana non congruere, quos Philippus, millesimo Urbis anno, cum Romae natalis esset, instituit solenniter ac peregit. *Iulius Capitolinus in Gordiano III. cap. XXXIII. Omnia haec (varii generis animalia et feras) Philippus exhibuit saecularibus ludis, et muneribus atque Circensibus, cum millesimum ab Urbe condita annum in Consulatu suo (secundo) et filii sui (primo) celebravit.* Post hunc Cassiodorus scribit. *His COSS. (Philippis patre et filio) millesimus annus Urbis (Romae) expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum Philippo filio suo bestias in circo magno interfecit, ludosque campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebravit.* Paulus Orosius imperii quoque annum, quo ludi saeculares celebrati sunt, definit, *l. VII. c. 20.* Sunt numi, in quibus Iovis, in templo, sex columnis innixi sedentis, imaginem cernimus, quae nomine Christiano indigna est, et manifestum impietatis signum habet. Solemnes enim et superstitiosos illorum temporum ludos, millesimo Urbis anno dicatos, incisa haec verba indicabant. SAECVLVM. NOVVM. SAECVLVM, dico, non commune, et centum duntaxat annis circumscriptum, sed singulare, et MILLIARIVM, sive MILLENARIVM, quod numi, ex argento et aere facti, declarant. *Apud Ioannem Tristanum in commentar. histor. t. II. p. 570.*

§. V. His argumentis rationibusque ducti Pomponius Laetus, in *compendio Romanae historiae lib. I.* Ioannes Baptista Egnatius, in *historia Caesarum*, Adolphus Occo, in *numismatis Imperatorum*, Iosephus Scaliger, in *animadversionibus ad Eusebium*, Isaacus Casaubonus, in *notis ad historiae Augustae scriptores*, Dionysius Petavius, de *doctrina temporum l. XI. c. 25.* Chr. Ad. Rupertus, in *observationibus ad Synopsin Besoldi*, Sethus Calvisius, *op. Chronolog. an. 246.* Io. Henric. Boeclerus, *hist. Univerf. sec. III. f. 2.* Timannus Gesselius, in *historia sacra et eccles. ad an. 253.* Ioannes Henrichius, *hist. eccl. sec. III. c. 4.* Gvil. Stratemannus, in *theatro hist. sec. III. an. 244.* Vlricus Huberus, *instit. hist. civil. part. II. l. 2. sect. 4. c. 1.* et alii, quos enumerare, longum foret. Prae omnibus commemorari debet Sulpicius Severus, scriptor disertus et elegans, sed Eusebio recentior, qui hoc uni Constantino M. tribuit, quod Christianam augusti nominis pietatem commendat. *Constantinus, inquit, primus omnium Romanorum principum Christianus fuit: id est, Christiano ritu Deum coluit, si propria verborum significatio obtinet, non eo, quo exponit G. Hornius, sensu, pacem Christianis dedit et libertatem.* Etsi enim illorum nomini honori que Constantinus favit, et immunitates ac privilegia impertitus

peritus est, tamen illa Sulpicii commemoratio ad verum in primis ac debitum Deo cultum spectat, *sacr. hist. lib. II. c. 48.* Nam pietas, quae in numis Philippi senioris legitur, officium notat, quod parentibus, et bene meritis praestari solet.

§. VI. Ante Sulpicium, et, quod non omittendum est, ante ipsum quoque Eusebium, Lucius Caecilius Lactantius, pari et consentienti voce affirmavit, Constantinum Imperatorem, *primum Romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis ac veri et cognovisse, et honoravisse, divinar. institut. l. I. c. 1.* Huius magna est auctoritas, et rerum proximarum aequae ac superiorum notitia insignis, quae, ut mea opinio est, praecipua fuit Sulpicio causa, quamobrem sequeretur Lactantium, et religionem Christianam, a Constantino susceptam, a libertate, populis Romanae ditionis concessa distingueret, in eaque re industriam et iudicium comprobaret, *l. II. c. 50.*

§. VII. Omnino certa, et quae nihil dubitationis habeant, monumenta poscimus, quoniam *acta Pontii*, quae extant, multis suspecta sunt, ut eorum auctoritate vix aliquid firmi constituatur. Non dissimulavit Caesar Baronius, fabulosum esse, quod ibi traditur de fano Iovis subruto, et simulacris eiusdem funditus deletis, quippe quae nec veri speciem habent, nec Petavium ad assentiendum inclinare potuerunt. Sed hic admonendum est, Vitam Pontii a Surio haud accurate editam, et huius fabulae accessione auctam, quae in aliis codicibus non legitur, neque in novissima Baluzii editione reperitur. *Miscellaneorum lib. II. p. 130. 131.* Quod sane miror, viro omni elegante doctrina expolito, non venisse in mentem, nec melius collocasse operam, quum Philippum *augustalem*, cum Philippo Augusto confundi autumat, alterum Aegypti praefectum, Christo dedisse nomen, alterum Imperatorem, fallā quorundam opinione, pro Christiano habitum fuisse, arbitratur. *De doctrina temporum l. XI. c. 25.* Nemo quidem inficiari potest, plures extitisse Philippos, et inter hos etiam Philippum praefectum praetorio, qui in Christianorum numerum ascriptus, errandi occasionem praebuisse creditur, deceptis nominum similitudine scriptoribus, ac sua culpa in errorem inductis. Accepit hoc a Baronio, verum ad suam, non ad illius sententiam accommodavit, quandoquidem Baronius veritatem actorum manifesto defendit, et acta ab additamento, quod ab aliena manu est, caute distinguit. *Annal. Eccles. t. II. an. 246. et 249.*

§. IIX. Nunc eo veniamus, ut quantum numo Apamensi tribuendum sit, in huius argumenti obscuritate aperiāmus, si maxime de vita Pontii, quam Valerius, ei quondam perfamiliaris scripsit, ambigatur. Neque enim vituperatio conatum, et studium Octavii Falconerii, viri diligentis, atque in huius doctrinae genere in primis versati, apud quem extat numus, Philippi senioris, imagine signatus, in cuius averfa parte inest effigies arcae, quadratam figuram referentis, et tres literas, quae nomen N N N constant, incisās habentis, atque a deo eluvio-

XLI. DE PHILIPPIS AVGVSTIS.

eluvionis Deucalioneae memoriam renovantis, ut censet idem ille antiquarius, in *dissertatione de numo Apamensi* p. 168. et 187. seq. Sed nihil causae video, cur iste Apamensium numus, ad significandam religionis Christianae tesseram afferatur, in quo nulla est diluvii nota, nullum Noachici nominis vestigium, nullum arcae fluitantis signum, nullum in ramo olivae, nisi foederis et concordiae, indicium, nullum denique in tota partis avervae effigie, nisi fertilitatis, et abundantiae extat argumentum. Erat enim Apamea Syriae Vrbs, horreum quoddam, et instar arcae, propter frugum copiam, quaeque cella penaria minoris Asiae, in qua floruit Alexandria Troadis, vel ob societatem et concordiam, Apamenses inter et Alexandrinos in vitam, in numo, cuius explanatio quaeritur, a peritis integrisque verbis commemorata. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. Non, ut legebat olim Falconerius, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ Β. Congruit nomen, quod sequitur: ΑΠΑΜΕΩΝ, quibus eadem societas, et foederis amicitiaeque necessitudo cum aliis civitatibus intercessit. Duae autem columbae, quarum speciem formamque numus praebet, nulla ratione ad columbam, a Noacho emissam, referuntur. Nam et in aliis numis, qui neque ad Noachum spectant, nec quidquam cum rebus sacris commune habent, duas columbas, et ramum olivae, si operae pretium sit, per facile ostendamus. Athanasium Kircherum, nimis credulum, et Falconerii vestigia secutum, non fero hac in causa iudicem: tantum de Cl. Ciampino miror, adduci potuisse, ut crederet, numum hunc a Christianis (scilicet Apamensibus) in signum lactitiae, quod ipse Philippus Christianae religioni addictus esset, sculptum fuisse, in *sac. historicae disquisitione, an duo Philippi Imperatores fuerint Christiani*. Sumpsit enim pro certis, quae probare debuit, et Craeca, quae in altera numi parte incisa sunt, vocabula perperam edenda curavit, et levi conjectura ductus, arcam Noe sensu Christianae pietatis exposuit, ac reiecto, in quo ei libens assentior, Deucalionis diluvio, salutem ex baptismatis aqua denotari. Nemo enim illorum Noe scripsit, sive in libris, sive in monumentis aliis: sacros enim scriptores, et Philonem Chaldaeos imitantem, et Berosum Annianum excipio, apud quos Noe et Noach legi, omnes sciunt. Apamenses igitur de nullo minus, quam de Noacho, cogitarunt, nec tenuissima suspicio est, de eo cogitare voluisse, cum Christi sacra nondum universe reciperent, nedum profiterentur. Idcirco nihil temere constituendum, nec huius numi indicio, de Philippi religione pronuntiandum, nec vero, si certiora suppetant, male de ea existimandum. Quod assecutus est Stephanus Monachus, neque hoc fundamentum stabile et firmum, quo tanta causa fulciretur, iudicavit. In *Prolegomenis Var. Sacr.* Vbi de Hippolyto, Origenis aemulo, et data hac occasione, de Philippo, ad quem iste duas epistolas scripsit, quaedam haud intempestive admonenda duxit.

§. IX. Res

§. IX. Res tandem eo redit, ut existimare possim, famam, quae de emendata Philipporum religione percrebuit, non firmissimis niti fundamentis, siquidem profanos scriptores consideravero, qui de Philippis Christianis tacent. Cum enim in scribendis, et investigandis Imperatorum rebus per essent diligentes, tum illud tam insigne mutatae religionis exemplum, sine reprehensione neutiquam tacere potuerunt. Nam quin resciverint, si quid eiusmodi contigit, vix dubitandi locus est, praesertim cum non committerent, ut res alias, quarum vel tenuissima significatio data est, silentio praeterirent. Adde, quod Eusebius quaedam fama accepit, quae plerumque incerta est, et fallit scriptores credulos, quippe monumentorum auctoritate destitutos. Quare Huetius ultro et ingenue fassus est, Eusebium ex incerta auditione retulisse, Philippum (seniorem) publice in Ecclesiam ab Episcopo (is fuit Babylas) admissum, praecationum participem fuisse factum, postquam crimina confessus, in poenitentium ordinem reductus est, *Origenianorum lib. I. p. 19.* Enim vero in coetu Dei publice non versatus est, nec palam se dixit, ac professus est Christianum civem: nam quo minus id faceret, metu impediabatur, qui an iustam hic excusationem habeat, nunc non ex viro. Illud namque agnoscit Huetius, *Christi sacris a Fabiano Papa initiatum fuisse Philippum. Sed occulte, idque clam Ethnicos habuisse, nequid inde res suae detrimenti caperent, quas pristinae religionis eiuratae fama forsitan conturbasset.* Cum Huetio sentiunt populares, doctrina et antiquitatis scientia exculti, *Natalis Alexander, hist. eccles. sec. III. part. prim. cap. ult. Antonius Pagi, in Crit. hist. Chronol. ad an. Chr. 248.* Nam Henricus Valesius, et Stephanus Baluzius, summa eruditione viri, consulto ab hac controversia abstinerunt.

## XLII. DE PRIMO CHRISTIAN. IMPERATORE.

Qui curam diligentiamque adhibent, ut pro eo, ac par est, argumenta ad rationes temporum idonea afferant, intervallisque convenienter distinguant, non possunt aliter, quin suo quaeque termino definiant, ac deinceps de rebus sententiam dicant. Quod sicuti instituto meo congruit, ita ordinis maxime interest, et perspicuitati etiam servit, prorsusque tale est, ut me commoneat, unde auspicari debeam, quum statutum habeo tradere, quando imperium Constantini M. coeptum, et quemadmodum deinde gestum fuerit, qualemve exitum habuerit, quatenus id quidem potissimum ad rem sacram pertinere mihi videtur.

§. II. Ante omnia vero perquirendi imperatoris Constantini M. natales sunt, qui cum genus patriamque eius ostendunt, tum ius pariter ac dignitatem